

XXXV

AD FORTVNAM

Strophe Alcaica

Ō dīva, grātum quae regis Antium,
Praesēns vel īmō tollere dē gradū
Mortāle corpus vel superbōs
Vertere fūneribus triumphōs :

Tē pauper ambit sollicitā prece
Rūris colōnus ; tē dominam aequoris,
Quīcumque Bīthynā lacessit
Carpathium pelagus carīnā.

Tē Dācus asper, tē profugī Scythae
Vrbēsque, gentēsque, et Latium ferōx,
Rēgumque matrēs barbarōrum, et
Purpureī metuunt tyrannī :

Iniūriōsō nē pede prōruās
Stantem columnam, neu populus frequēns
Ad arma, cessantēs ad arma
Concitet, imperiumque frangat.

Tē semper anteit saeva Necessitās,
Clāvōs trabālēs et cuneōs manū
Gestāns aēnā ; nec sevērus
Vncus abest, liquidumque plumbum.

Tē Spēs et albō rāra Fidēs colit
Vēlāta pannō ; nec comitem abnegat,
Vtcumque mūtātā potentēs
Veste domōs inimīca linquis.

At vulgus īnfīdum et meretrīx retrō
Periūra cēdit : diffugiunt, cadīs
Cum faece siccātīs, amīcī
Ferre iugum pariter dolōsī.

Servēs itūrum Caesarem in ultimōs
Orbis Britannōs, et iuvenum recēns
Exāmen Ēōīs timendum
Partibus, Ōceanōque rubrō.

Ēheu ! cicātricum et sceleris pudet
Frātrumque : quid nōs dūra refūgimus
Aetās ? Quid intāctum nefāstī
Līquimus ? Vnde manum iuventūs

Metū deōrum continuit ? Quibus
Pepercit ārīs ? Ō utinam novā
Incūde diffingās retūsum in
Massagetās Arabasque ferrum !